

nor juvat, et mendax infamia terret. *Tullius.*

32. Qui sordido vehiculo erubescit, prætioso gloriabitur. Quid ad rem pertinent mulæ saginatae? quid ista vehicula cæлата? quid phaleræ deauratæ? quid monilia demissa pectoribus? Ista nec dominum possunt facere meliorem nec mulam. *Senec. 88. epist.*

33. O quantum erat sæculi decus, Catonem uno caballo esse contentum, et ne toto quidem! partem enim sarcinæ ab utroque latere dependentes occupant. O quam cuperem illi nunc aliquam occurrere ex his trusullis in via, et multum ante se pulveris agitantibus. *Senec. ibid.*

34. Quæris qualis mensa, qualis argento, quam paribus ministris, et levibus afferatur cibus: nil præter cibum natura desiderat. Numquid tibi quum fauces urit sitis, aurea quæris pocula? ambitiosa non est fames, contenta est desinere, quo desinat, non nimis curat. *Ibidem.*

35. Numquid fortis se fortem gloriabitur, quem corporis ægritudo efficit infirmum? *Senec. de mor.*

36. Numquid dives in opibus suis gloriatur, cujus spem fur vel tyrannus arripuit? *Ibidem.*

37. Numquid nobilitas gloriabitur, effecta nonnunquam indignis et miserabilioribus serviens. *Ibidem.*

38. Cito ignominia fit superbi gloria. *Sen. in Prov.*

Vide etiam in tit. Ambitio et Caro, núm. 27. in tit. Consideratio, núm. 1. in tit. Curiositas, núm. 23. in tit. Divitiæ, núm. 30, 32, 46. in tit. Eleemosyna, núm. 39, 45. in tit. Favor, et Gaudium, núm. 21. in tit. Gloria bona, núm. 2, 6, 7. in tit. Honor, núm. 27. in tit. Hypocrisis, núm. 35. in tit. Laus, núm. 38. in tit. Mors, núm. 26. in tit. Mundus et Prosperitas, núm. 14, 21. in tit. Solicitudine, núm. 18. in tit. Tempus, núm. 13. in tit. Vita, núm. 6.

GLORIA ÆTERNA.

1. Tanta est pulchritudo justitiæ, tanta est jucunditas lucis eternæ, hoc est incommutabilis sapientiæ,

ut etiamsi non liceret in ea amplius manere, quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis et circumfluentia bonorum temporalium, recte meritoque contemnerentur. *Aug. lib. de moribus.*

2. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno, sed nec ad eum ambiel ullus indignus, ubi nullus permittetur esse nisi dignus. Vera pax, ubi nihil adversi, nec à seipso, nec ab alio quispiam patietur: præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, eique seipsum: quo melius et majus nihil posse esse promisit. Quid est enim aliud, quam quod per Prophetam dixit: *Ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi plebs:* ubi ego ero, unde salientur, ego ero quæcumque ab hominibus honeste desiderantur, et vita, et salus, et victus, et copia, et gloria, et honor, et pax, et omnia bona? Sic enim et illud recte intelligitur, quod ait Apostolus. *Ut sit Deus omnia in omnibus:* ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur: hic munus, hic affectus, hic actus proculdubio erit omnibus, sicut vita æterna communis. *Aug. lib. 22. de Civ. Dei.*

3. Facilius possumus dicere in illa vita æterna, quid ibi non sit, quam quid ibi sit: Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœstitia, nulla tristitia. *Aug. de symb. lib. 5.*

4. Illuc festinate, ubi semper vivatis. Si enim sic amatis istam miseriam, fluidamque vitam, ubi cum tanto labore vivitis, et ubi vix currendo, satagendo, suadendo, suspirando necessariis corporis satisfacitis: quanto magis amare debetis vitam æternam, ubi nullum laborem sustinebitis? ubi semper summa securitas, summa felicitas, felix libertas, felix beatitudo? ubi implebitur illud, quod dominus dicit in Evangelio: *Erunt homines similes angelis:* et illud: *Fulgebunt justi,* etc. *Aug. de utilitate agenda pœnitent.*

5. Hæreditas inquam Christi, qua cohæredes sumus, non minuitur copia possessorum, nec fit angustior numerositate cohæredum, sed tanta est multis, quanta paucis: tanta singulis, quanta omnibus. *Ambr. super Psal. 49.*

6. Tantum emit vidua duobus minutis, quantum emit Petrus relinquens retia, quantum emit Zachæus dando dimidium patrimonium. Regnum Dei tantum valet, quantum habueris. *Aug. ibid.*

7. Hæc est otiosorum negotium, hæc opus vacantium, hæc actio quietorum, hæc cura securorum. *Aug. super Psal. 100.*

8. Divitiæ si diliguntur, ibi servantur, ubi perire non possunt: honor si diligitur, illic habeatur, ubi nemo indignus honoretur: salus si diligitur, ibi adipiscenda desideretur, ubi adepta nihil timetur, vita si diligitur, ibi acquiratur, ubi nulla morte finitur. *Aug. in epist.*

9. Tanto illud, quod valde magnum est, quod nec oculus vidit, quia non est color, nec auris audivit, quia non est sonus, nec in cor hominis ascendit, quia cor hominis debet illuc ascendere, sumemus capacius, quanto illud et fidelius credimus, et speramus firmiter, et desideramus ardentius. *Aug. ad Dioscor.*

10. Talis erit illa delectatio pulchritudinis, ut semper tibi præsens sit, et nunquam satieris: imò ut semper satieris, et nunquam satieris. Si enim dixerò quod non satiaberis, fames erit: si dixerò quod satiaberis, fastidium times, ubi nec fastidium erit, nec fames. Quid dicam, nescio: sed Deus habet quod exhibeat. *Aug. super Joan. ho. 3.*

11. Ecce venale est regnum Dei: eme si vis, nec multum existimes de re magna propter pretii magnitudinem: tantum valet, quantum habes: noli quærere quid habeas, sed qualis sis. Res ista valet tantum, quantum es: tu te da, et habebis illam: sed malus sum, inquires, et fortè me non accipiet: dando te illi, bonus eris. *Aug. de spiritu et anima.*

12. *Regnum cælorum vim patitur: ideo quia rea-*

tas, quod litera sine spiritu jubendo faciebat, creando solvitur, et violentia Spiritus sancti impetratur. *Aug. de fide et operibus.*

13. Non erit aliqua invidia disparis claritatis: quoniam regnavit in omnibus unitas charitatis. *Bern. super Joan.*

14. Incomparabiliter superna civitas clara est, ubi victoria, ubi veritas, ubi dignitas, ubi sanctitas, ubi vita, ubi æternitas. *Aug. de vita æterna.*

15. In civitate Dei Rex veritas, lex charitas, dignitas æquitas, pax felicitas, vita æternitas: sed in civitate diaboli econtra, rex falsitas, lex cupiditas, dignitas iniquitas, lis felicitas, vita temporalitas. *Aug. de Civ. Dei.*

16. Ibi hymni dici angelorum chori, ibi societas civium supernorum, ibi dulcis solemnitas à peregrinationis hujus tristi labore redeuntium, ibi festivitas sine fine, æternitas sine labe, serenitas sine nube. *Aug. super Jo. in hom. Ego sum pastor bonus.*

17. Si consideremus, quæ et quanta sunt, quæ sanctis dabuntur in die judicii, quæ et quanta, quæ nobis promittuntur in cælis, vilescunt omnia quæ habentur in terris. Terrena namque substantia supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. *Greg. in hom.*

18. Temporalis vita, æternæ vitæ comparata, mors est dicenda potius, quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud, quam quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua discere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ civitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscripsum lumen videre, nullo mortis dolore affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari. *Ibidem.*

19. Ibi quicquid amabitur, aderit: nec desiderabitur, quod non aderit: omne quod tibi erit, et quod est bonum, erit: et summus Deus summum bonum erit omnino beatissimum, ita semper fore certum erit.

Ibi vacabimus et videbimus: videbimus et amabimus: amabimus et laudabimus esse, quod erit in fine, sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi pervenire ad regnum, cujus nullus est finis? *Aug. lib. 22. de Civ. Dei.*

20. Quod Deus præparavit diligentibus se, fidè non capitur, spe non attingitur, charitate non apprehenditur, desideria et vota transgreditur: acquiri potest, æstimari non potest. *Aug. ibid.*

21. Ibi lota virtus erit, videre quod amas, et summa felicitas amare quod videas, et ibi beata vita in suo fonte bibitur, ubi veritatis visio clarissime aperitur. *Aug. de Civ. Dei.*

22. Regnum cœlorum non est dantis, sed accipientis. Non est enim personarum acceptio apud Deum: sed quicumque se talem præbuerit, ut regno cœlorum dignus fiat, hic accipiet, quod non personæ, sed vitæ paratum est. *Hier. super Psal. 68.*

23. Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. *Hier. in epist.*

24. Et regnum cœlorum vim patitur: grandis violentia est, generatos in terra cœlum quarere, et possidere per virtutem, quod non tenuimus per naturam. *Hieron.*

25. Quantalibet intentione se humana mens tenderit, etiamsi phantasias imaginum corporalium à cogitatione compescat. Si omnes circumscriptos spiritu ab oculis cordis admoveat, adhuc tamen in carne mortali posita videre gloriam Dei non valet, sicut est: sed quicquid de illa est, quod in mente respundet, similitudo, et non ipsa est. *Greg. super Ezech. hom. 8.*

26. Curramus et sequamur Christum, non sunt hic vera solatia: sed ibi ponuntur, ubi vera vita. *Greg. in moral.*

27. Regnum cœlorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur. Videte si negare debemus, quod petimus, quum patroni sint qui petunt. *Greg. in hom.*

28. Tanta vis in illa pace nos social, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Una cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamvis non una sit in omnibus sublimitas vitæ. Erit et in illa beatitudine culpæ memoria, non quæ mentem polluat, sed quæ nos lætitiæ armis adstringat. *Greg. in moral.*

29. Solis justis cœlestis patriæ debentur præmia, ut humiles, casti, mites, atque misericordes ad gaudia æterna perveniant. *Ibidem.*

30. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Si enim dispar retributio in illa latitudine æterna non esset, una potius mansio, quam multæ essent. Multæ ergo mansiones sunt, in quibus et distincti bonorum ordines propter meritorum consortium communiter lætentur: et tamen unum denarium omnes laborantes accipiunt, qui in nullis mansionibus distinguuntur, quia et una beatitudo, quam illic percipiunt, et dispar retributionis qualitas, quam per opera diversa sequuntur. *Greg. lib. 4. dialog.*

31. Quoniam electis in hac vita est dilectio operum, in alia quoque vita erit proculdubio discretio dignitatum, ut quo hic alius alium superat, illic alius alium retributione transcendat, et quamvis in illa retributione dignitas eadem non sit, una tamen omnibus vita beatitudinis erit. *Greg. 4. moral.*

32. Corona xii stellarum in patria. Prima stella memoria sine oblivione: secunda ratio sine errore: tertia voluntas sine omni perturbatione: quarta impassibilitas, in qua corpus nostrum surget sine corruptione: quinta charitas, qua configurabitur claritati corporis Christi: sexta agilitas, ut secundum mobilitatem cogitationum nostrarum sit agile: septima subtilitas, ut quantumlibet spissum vel solidum erit impenetrabile: octava est, diligere proximum suum in omni veritate, tanquam seipsum: nona est, videre proximum suum in puritate diligentem se, sicut diligit semetipsum: decima est, Deum perfecte diligere, sed plus quam seipsum: undecima est, diligere seipsum tantummodo propter Deum: duodecima est,

videre Deum diligentem se supra quam diligit seipsum. *Bern. in quodam serm.*

33. O verè felix et gloriosa societas! ò sanctum convivium! ò desiderabiles epulæ! ubi nimirum anxietas nulla, nullum poterit esse fastidium, quin sacietas summum et summa inerit desiderium. *Bern. in serm.*

34. Illud verum et summum gaudium est, etc. Vide gaudium núm. 13.

35. Festinemus ad locum tutiorem, id est, ad agrum uberiorem, ad pastum saniorem, ut habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epulemur sine fastidio. *Bern.*

36. O beata regio paradisi! ò beata regio deliciarum, ad quam suspiro de valle lachrymarum, ubi sapientia sine ignorantia, ubi memoria sine oblivione, ubi intellectus sine errore, ubi ratio sine obscuritate fulgebit. Beati qui habitant ibi, et laudabunt Deum in sæcula sæculorum, Amen. Regnum Dei conceditur promittitur, ostenditur, percipitur: conceditur in prædestinatione: promittitur in vocatione: ostenditur in justificatione: percipitur in glorificatione. *Bern. in ser.*

37. Nulla erit in futuro discordia, sed cuncta consona: cuncta convenientia: omnium enim sanctorum erit una concordia: nullus ibi diaboli metus: nullæ insidiæ dæmonum: terra gehennæ procul, mors neque corporis, nec animæ, sed immortalitatis munere metus uterque resolutus. *Chrys. de reparatione laps.*

38. Intuere cœtum, non solum ex hominibus, sed ex angelis, atque archangelis, thronis et dominationibus, principalibus ac potestatibus convocatum: de Rege autem, qui horum medius residet, discere vox nulla sufficiet: effugit omnem sermonem atque omnem sensum humanæ mentis, excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia. *Ibid.*

39. Si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, pro eo ut Christum videre possimus in gloria venientem, et sanctorum ejus numero sociari, non erit dignum paratione, omne quod triste est modò, ut tanti boni

tantæque gloriæ participes habebimur. *Ibidem.*

40. Futura vita, ubi creditur esse beatè sempiterna, sempiternè beata, ubi est certa securitas, securæ tranquillitas, tranquilla jucunditas, felix æternitas, æterna felicitas: ubi amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer molus, et unus omnium spiritus. *Prosp. de vita contemplat.*

41. Futura vita, ubi ipsa civitas quæ est angelorum, sanctorumque omnium congregatione beata, meritis fulgentibus micat, æterna salus exuberat, veritas regnat, ubi nec fallit quisquam, nec fallitur, ubi nullus beatus ejicitur, ubi nullus miser admittitur. *Prosp. ibid.*

42. Ad fidem plures veniunt, ad cœleste regnum pauci perducuntur, omnes enim caonici vocantur ad electionem, sed unus eligitur. *Rav. super ill. Matth. 10. Multi enim vocati, etc.*

43. Patriam nostram, paradisum computemus: parentes patriarchas jam habere cœpimus: quid non properamus, et currimus, ut patriam nostram videre, ut patres salutare possimus? Magnus nos illic charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos et copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate securæ, adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum et complexum venire, quanta et illis, et nobis in commune lætitia est? *Cypr. epist. de mort.*

44. Bene dicitur, Dominum cœlum extendere, ubi meretrices et publicanos eum constat admittere: nam cum sint rei, per justitias, cœli justorum facti sunt: et gratiæ largitate peccantium. *Cass. super Psalm. Extendens cœlum sicut pellem.*

45. Æternitas, est diuturnitas sine initio et fine, et carens omni mutabilitate. *Boëtius.*

Vide etiam in tit. Acedia, núm. 7. in tit. Amor, núm. 16, 34, 32. in tit. Angelus, núm. 30. in tit. Anima, núm. 28. in tit. Beatitudo, núm. 2, 17, 18, 21. in tit. Consolatio, núm. 4. in tit. Delitiæ, núm. 7. in tit. Desiderium, núm. 3. in tit. Divitiæ, núm. 18.

in tit. Gaudium, núm. 1. in tit. Infernus, núm. 18.
in tit. Tempus, núm. 1. in tit. Vita, núm. 5.

GRATIA.

1. Homo tunc peccatis vincitur dum viribus suis juste vivere conatur sine adjutorio liberantis gratia Dei. *Aug. super epist. ad Rom.*

2. Si gratiam ideo tibi dedit Deus, quia dedit gratis, gratis ama: noli ad præmium diligere Deum: ipse sit præmium tuum. *Aug. super Joan.*

3. Si levis morbus esset, contemneretur medicus, non quaereretur: si medicus contemneretur, morbus non finiretur. Ideo ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia. *August. de verbis apost.*

4. * Gratia Dei, non nostra potestate, in melius mutamur.

5. Sola gratia discernit redemptos à perditis, quos in unum coacervat massa perditionis ab origine ducta creationis. *Aug. lib. 4. Retr. c. 22.*

6. * Gratia non solum adjuvat justum: sed etiam justificat impium. *Aug. in enchirid.*

7. Dei gratia cur ad istum veniat, ad illum non veniat, occulta causa esse potest, injusta non potest. *Aug. l. de act. c. 20.*

8. Lex, Dei civitas est: lex data est, ut gratia quaereretur: gratia data est, ut lex impleretur. *Aug. de Baptism. parvulo.*

9. Talis est gratia spiritus sancti, ut si in corde tristitiam invenerit, consumit et dissolvit: si desiderium, permansivum facit: si trepidationem etiam obijcit. *Aug. de spirit. et lit.*

10. * Non nisi magna Dei gratia terreni corporis vincemus errores. *Aug. epist. 91.*

11. Uberior est gratia, quam precatio: semper enim Dominus plus tribuit, quam rogatur. *Ambr. super Luc.*

12. Gratia vehementior est ad diligendum, quam natura: reddendo vacuatur pecunia, gratia autem et

habendo solvitur, et solvendo retinetur. *Ambr. de offic.*

13. Dum nos gratia divini respectus illuminat, cuncta mentis nostræ nobis abscondita manifestat. *Greg. lib. 8. moral.*

14. Filii Israel manna deserentes cum peponibus et carnibus, porros capasque desideraverunt, quia videlicet perversæ mentes gratiæ dona despiciunt, et pro carnalibus voluptatibus laboriosa hujus vitæ itinera, et lachrymis plena concupiscunt. *Greg. in moral.*

15. * Gratia divina adscribitur omne quod prosperè à nobis geritur. *Greg. in Ret.*

16. * Punitione gravi dignus est, qui sæpius Dei gratiam contempsit. *Greg. in Evang. ho. 57.*

17. Quum per semetipsum loquitur Deus, de verbo ejus sine verbis et syllabis cordocetur: quia virtus ejus intima quadam sublevatione cognoscitur, ad quam mens plena suspenditur, vacua gravatur: pondus quoddam est, quod omnem animam quam tangit replet. *Greg. ibid.*

18. Gratiam in tribus consistere arbitror. In odio præteritorum, contemptu præsentium bonorum, et desiderio futurorum. *Bern. de lib. arbitr.*

19. Præoccupatum quippe secularibus desideriis animi delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia carnalibus, summa imis, ut pariter sapias, quæ sursum sunt, et quæ super terram. *Bern. in serm. 77.*

20. In veritate didici nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam et recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non alium sapere, sed timere, sicut scriptum est: Beatus homo, qui semper est pavidus. Tunc ergo quum ariserit gratia, time: quum abierit, time: quum de novo revertetur, et hoc semper pavidum est. *Bern. super Cant. serm. 54.*

21. Gratia balsamum purissimum est, et ideo purum, solidum, et profundum vas requirit. *Ibidem.*

22. * Quantum quis crescit in gratiam, tantum in fiduciam dilabatur. *Bern. Cant. serm. 2.*

23. * Querere Deum non potest anima, nisi præveniatur, ut quærat. *Ibid. serm. 85.*

24. Aliquando plerique et vitam habentes mundam, non accipiunt gratiam. Quare? ne in superbiam eleventur, ne inflentur ventositate jactantiæ, ne altitudo muneris negligentiores efficiat. *Chrys. super epist. ad Hebr.*

25. Pauper et creditor obviaverunt sibi, utriusque illuminator est Dominus. *Prov. 29. glo. Bedæ.*

26. Pauper, est humilis auditor, creditor, prædicator, qui sibi obviant quum in uoam pietatis gratiam conveniunt. Utriusque illuminator est Dominus, quia nec iste prædicat, nec ille credit sine Dei munere. Unde, sine me nihil potestis facere. *Beda in glo.*

Vide etiam in tit. Adventus, núm. 2. in lit. Anima, núm. 25. in lit. Cor, núm. 4. in lit. Creatio, núm. 2. in lit. Devotio, núm. 8. in lit. Maria, núm. 19. in lit. Pœnitentia, núm. 13. in lit. Prædicatio, núm. 26. in lit. Salus, núm. 1.

GRATITUDO, SIVE GRATIARUM ACTIO.

1. Quid est tota die? id est, sine intermissione laudare: in prosperis, quia consolaris: in adversis quia corrigis: antequam essem, quia fecisti me: cum essem, quia salutem dedisti: cum peccassem, quia ignovisti: cum conversus essem, quia adjuvisti: cum perseverassem, quia coronasti. *Aug. super illud Psal. Tota die repletur os meum.*

2. Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati, et habere te cognosce, et nihil ex te habere, ut nec superbus sis, nec ingratus. Dic Deo tuo: sanctus sum, quia sanctificasti me, quia accepi, non quæ habui: quia tu dedisti, quæ ego non merui. *Aug. super Psal. Custodi animam meam quoniam, etc.*

3. Omnia peccata sic habenda sunt, tanquam dimittantur á quibus Deus custodit, ne committantur. Noli modicum diligere, quasi á quo modicum dimis-

sum est: sed potius multum dilige, á quo tibi multum tributum est. Si enim diligit, cui donatum est, ne redderet: quanto magis debet diligere, cui donatum est, ut haberet? Nam quisquis ab initio pudicus permanet, ab illo regitur: et quisquis ab impudico pudicus factus est, ab illo corrigitur, et quisquis usque in finem impudicus est, ab illo deseritur. Hæc autem ille oculo judicio facere potest, iniquo non potest, et fortasse ideo latet, ut plus timeatur, et minus superbiatur. *Aug. ad sanctas virg.*

4. * Gratias agere Deo possumus, referre non possumus. *Aug. in Psal. 47.*

5. Quid melius et animo geramus, et ore promamus, et calamo explanemus, quam Deo gratias? hoc nil dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. *Aug. in epist. ad Marcell.*

6. Danti rependi quicquam gratius ab accipiente non potest, quam si gratum habuerit, quod gratis accepit: nam spiritui gratiæ contumeliam facit, qui beneficium dantis grata mente non suscipit. *Bernar. ad Imericum Cancellarium.*

7. Optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, et perpetua confessio gratiarum. *Chrys. super Matth. 25.*

8. Admoneo vos ut Dominum semper benedicatis: si venerint mala, benedicite, et dissolventur mala: si prospera venerint, benedicite, et perseverabunt bona et prospera. *Chrys. in tractat. de symb.*

9. Jugiter sibi subvenire facit, cui collatum beneficium ante oculos semper assistit. *Cass. super Psal. Quoniam misericordia, etc.*

10. Præstita dona numerantur, ut ad beneficia consueta animus boni judicis invitetur. *Ibidem.*

11. Meliora meretur suscipere, qui collata bona de corde non probatur amittere. *Ibidem.*

12. Si bene merentibus aliena gratia non respondet, merces lamen sua virtuti non deerit: quæ potius fructus lucra satis habet, simpliciter apud se de bono

felici conscientiae testimonio gloriari: neque enim subiecta est externae dispositionis arbitrio, sed in sua propria puritatis majestate consistens, ab indignioribus praemia non requirit. *Cass. in quadam epist.*

13. Qui quanta sibi gratia collata sit, nescit, quantas largitori grates debeat, non intelligit: non enim potest quis plene intelligere quod accipit, nisi meminert. *Ibidem.*

14. Omnis profectus ad divinitatis est munera referendus: quia nihil constat fore bonum, nisi quod ab ipso dignoscitur esse collatum. *Ibidem.*

15. Invitat ad magna, qui gratanter suscipit modica: et spem de futuris recipit, qui transacta beneficia recognoscit: nec desperatione frangitur, qui magnorum munerum consolatione roboratur. *Cass. 4. epis.*

16. Hesiodum illud laudatur ab omnibus, qui eadem mensura reddere jubet, qua acceperis, aut etiam emalatiore, si possis. *Tull. de Cic. ora.*

17. Nullum officium magis quam referenda gratia necessarium: nam si Hesiodus jubet reddere majore mensura, quam acceperis utenda, quid debemus facere provocati beneficio? imitari agros fertiles, qui multo plus reddunt, quam acceperunt: quia si non dubitamus bona conferre his, quos speramus nobis profuturos, quales debemus esse in eos qui jam profuerunt? Nam demus vel non demus, in nostra potestate est: non reddere vero, bono viro non licet, si absque injuria id facere possit. *Sen. in quadam epist.*

18. Ad reddendum gratiam opus est, et tempore et facultate, et aspirante fortuna: nihil tam necessarium aut cum majori cura dicendum, quam beneficium dare, et gratias agere. *Senec. 5. de benefic.*

19. Quidam furtive gratias agunt, et in angulo, et ad aurem, verentur palam ferre, ut sua potius virtute, quam alieno adjutorio habere dicantur. *Sen. 2. de benefic.*

20. Nunquam tibi gratiam referre poterò, tamen illud certe non desinam ubique confiteri, me ferre non posse. Nam qui grate beneficium accipit, primam ejus pensionem solvit. *Ibidem.*

21. Sapiens omnia examinabit secum, quantum accipit, à quo, et quando, ubi, quemadmodum. Itaque negamus quemquam scire gratiam referre, nisi sapientem. *Senec. 5. epist.*

22. Hoc certe justitiae convenit, suam cuique reddere beneficio gratiam: injuriae talionem, aut certe malam gratiam. *Senec. 85. epist.*

23. Non omnes grati sciunt debere beneficium: potest etiam imprudens et rudis, et unus de turba; ignorat autem quantum pro re debeat. *Ibidem.*

24. Sapienti notum quanti res quaecumque taxanda sit: nam stultus etiamsi bonae voluntatis est, aut minus quam debet, aut tempore, aut quo non debet, reddit loco: aut in quod reddendum est, effundit, atque abjicit. *Ibidem.*

25. Nemo etiam referre gratiam scit, nisi sapiens: stultus autem quemadmodum potest, refert: scientia illius potius, quam voluntas deest, velle non discitur. Sapiens omnia inter se comparabit: majus enim aut minus fit, quamvis idem fit, tempore, loco, causa. *Ibidem.*

26. Gratus sum, non ut alius mihi libentius praestet priori irrelitus exemplo: sed ut rem jucundissimam faciam. *Ibidem.*

27. Credamus itaque nil esse grato animo honestius: omnes hoc urbes, omnes etiam ex barbaris regionibus gentes conclamabunt: in omni judiciorum diversitate referendam benemerentibus gratiam, omnes uno ore affirmabunt: in his discors turba consentiet. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Beneficentia et Creatio, núm. 6, 7. in tit. Dilectio, núm. 4, 15. in tit. Homo, núm. 18. in tit. Ingratitudo et Lachryma, núm. 14. in tit. Laus, núm. 1, 8. in tit. Nocumentum, núm. 8. in tit. Patientia, núm. 3, 39. in tit. Virtus, núm. 8.

GULA.

1. Ventris ingluvies dicit ad esum: dominus om-

nia munda creavit, et qui saturari cibo respuit, quid aliud, quam divinæ ordinationi contradicit? *Aug. lib. de conflictu vitiorum.*

2. Non propter porcum, sed propter pomum, mortem primus homo invenit, et Esau primalum suum non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit. Scio enim Noë omne genus carnis, quod cibi esset usui, manducare concessum, Eliam cibo carnis relectum, Joannem mirabili abstinentia præditum animalibus, id est locustis in escam cedentibus non fuisse pollutum. Et scio Esau lenticulæ concupiscentia deceptum. Et David propter aquæ desiderium à seipso reprehensum, et regem nostrum non de carne, sed de pane tentatum. *Aug. in glo. super illud ad Ro. 14. Noti propter escam destruere opus Dei, omnia quidem munda sunt.*

3. Malæ dominæ servitur gulæ, quæ semper expetit, nunquam expletur. Quid enim insatiabilis ventre? hodie suscipit, cras exiget, quum impletus fuerit, disputatur de continentia, quum digesserit, vale virtotibus dicitur. *Ambr. in serm. de jejun.*

4. Fames amica virginitali est, inimica lasciviæ. Saluritas verò castitatem prodigit, nutrit illecebram. *Ambr. in serm. 40.*

5. Sit vilis et vespertinus cibus, olera et legumina, interdumque pisciculos pro summis ducas delicis. Qui Christum desiderat, et illo pane vescitur, non quærit magnopere quam de pretiosis cibus stercus conficiat. *Hier. in epist. ad Pauli.*

6. Hippocrates in Aphorismis docet, crassa et obesa corpora, quæ crescendi mensuram impleverunt, nisi cito ablatione sanguinis minuantur, in paralytin et pessima morborum genera erumpere: et idcirco necessariam esse demptionem: ut rursus habeant, in quæ possint crescere. Non enim manere in uno statu naturam corporum, sed aut crescere semper, aut decrescere: non posse vivere alias, nisi crescendo capax sit. Unde et Galenus vel doctissimus Galeni interpres: Adeps quorum vita, et ars sagina est (dicit

in exhortatione medicinæ) nec vivere posse diu, nec sanos esse; animasque ita nimio sanguine et adipibus quasi luto involutas, nihil tenuæ, nil cælestis, sed semper de carnalibus eructare, et ventris ingluviem cogitare. *Hier. in epist.*

7. Legimus quosdam morbo articulari, et podagræ humoribus laborantes, proscriptione honorum, ad simplicem mensam, et pauperes cibos redactos convaluisse. Caruerunt enim solitudine dispensante domus, et epularum largitate, quæ et corpus frangunt et animam. *Hier. in epist. ad Jovi.*

8. Semper saturitati juncta est lascivia. Vicina sunt igitur venter et genitalia, pro membrorum ordine, ordo vitiorum. *Hier. in quodam serm.*

9. * Cor habet in ventre gulosus, lascivus in libidine, cupidus in lucro. *Hier. in Matth.*

10. Non cibus sed appetitus in vitio est, unde et lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, et abjectiores non sine reato conscientia degustamus. *Greg. lib. 30. moral.*

11. Dominante gulæ vitio, omne, quod homines fortiter egerunt, perdunt, et dum venter non restringitur, simul omnes virtutes obruuntur. *Greg. ibid.*

12. Cocorum princeps muros Jerusalem dejecit: quia dum venter ingluvie tenditur, virtutes animæ luxuria destruuntur. *Greg. in pasto.*

13. * Gulæ vitio reciso multa simul vitia subjungantur. *Greg. in Reg.*

14. * Gula innumera vitiorum agmina ad animæ conflictum producit. *Ibidem.*

15. Pene semper epulas comitatur voluptas: nam dum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. *Greg. lib. 1. moral.*

16. Non ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis positus, gulæ videlicet appetitus edomatur, quia si non ea, quæ nobis sunt viciniora, prosternimus: inaniter ad ea quæ longius sunt, impugnanda transimus. Incassum namque contra exteriores inimicos in campo bellum ge-

ritur, si intra urbis mœnia civis insidians habetur. *Greg. lib. 30. moral.*

17. Sæpe edendi ratio servit gulæ, et servire se simulat indigentia naturæ: quumque venter ingluvie se extendit, membra in luxuriam erigit. *Greg. lib. 2. moral.*

18. Sic voluptas plerumque sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat: nam dum solvi debitum necessitas petit, voluptas expellere desiderium suppetit, et tanto gula securius in præceptum ruit, quanto sub honesto nomine necessitatis explendæ se contegit. *Greg. lib. 30. moral.*

19. Melius est exiguo sanguine ad usum vesci, quam ventoso legumine usque ad ructum exaturari, præcipuè cum et Esau non de carne, sed de lente sit reprehensus, et de ligno Adam, non de carne damnatus, et Jonathas de gustu mellis, non carnis morti iudicatus. Econtra vero Elias innoxie carnem comedit, Abraham angelos gratissime carnibus pavit: et de ipsis sua fieri sacrificia Deus præcepit. *Bernard. in apologetio.*

20. Paulus Thimotheo modice vino utendum consuluit: et Dominus ipse bibit, ita ut vini potator appellatus sit. Apostolis quoque bibendum dedit, insuper ex eo sacramentum sui sanguinis edidit. *Bern. ibid.*

21. Ipsa deinde qualitas rerum talis de foris apparere curatur, ut non minus aspectus, quam gustus delectetur, et cum jam stomachus crebris ructibus repletum se iudicet, necdum tamen curiositas satiatur: sed dum oculi coloribus, palatum saporibus illiciuntur, infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec sapor demulcent, dum omnia suscipere cogitur, oppressus magis obruitur, quam reficitur. *Bern. ibid.*

22. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascantur rumoribus, quibus totus intentus modum nescias in edendo, interim autem fercula ferculis apponuntur, et pro solis carnibus quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. *Bern. super Cant.*

23. Gulæ saturitas nimia aciem mentis obtundit, ingeniumque evertere facit. *Isid. lib. 1. de sum. bon.*

24. Quibuslibet escis relectus venter, seminaria luxuriæ parit: nec prævalet mens discretionum gubernacula moderari, ciborum pondere præfocata. Non enim sola crapula vini mentem inebriare consuevit: verum etiam cunctarum escarum nimietas vacillantem eam, ac nutabundam reddit, omnique integritatis ac puritatis contemplatione dispoliat. *Cass. de instit. mon.*

25. Nunquam poterit ardentis concupiscentiæ stimulos inhibere, quisquis desideria gulæ refrænare nequiverit. Interioris hominis castitas, virtutis hujus consumptione discernitur: numquam enim robustioribus æmulis collectari posse confidas eum, quem in leviori conflictu conspexeris ab inferioribus, parvisque superari. *Ibidem.*

26. Impossibile est saturum ventrem pugnas interioris hominis experiri: nec bellis robustioribus attentari dignum est eum, qui potest dejici leviori conflictu. *Ibidem.*

27. Quidam quum ad edendum assederint, inquieta quadam agitatione membrorum, intemperantiam animi sui designant, caput excutiunt, brachia exuunt, manus in altum expandunt, et non sine magna turpitudine, quasi totum epulum simul sint absorpturi. Ingentes quosdam conatus et gestus satis indecoros ostendunt in uno loco sedentes oculis et manibus, quæ prope et longe sunt, omnia circumcurrunt, simulque panes comminuunt, vina in calices infundunt, discos in gyrum circumducunt, anhelant et suspirant præ angustia, ita ut existimes eos alium rugienti ventri patientiorem aditum quærere, quasi angustia faucium non possint esurienti stomacho satis sufficienti abundantia ministrare, et velut super obsessam civitatem assaultum facturus, dubitans ubi primum expugnationem aggrediatur, dum simul in omni parte irruptionem facere concupiscit. *Hug. in suo claustro.*

28. Superstitiosum quidem nimis in suis præparandis cibis adhibent studium, infinita decoctionum,

frixurarum et condimentorum genera excogitantes, modo mollia, modo dura, modo frigida, modo calida, modo cocta, modo assa, modo pipere, modo allio, modo cymino, modo sale condita, secundum consuetudinem prægnantium mulierum desiderantes: ita, quod ibi desudant coquorum artes, et fiunt varia quæstiones, utrum fieri debeant assata, vel frixa, vel elixa, et tanta solitudine præparantur, ut devoratis quatuor vel quinque ferculis, prima non impediatur novissima, et quum jam stomachus, crebris eructibus repletum se iudicat, nondum tamen curiositas salietur. Isti videntur colere ventrem, tanquam Deum. *Ibidem.*

29. Solent diis templa construi, altaria erigi, ministri ad servendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari. Deo siquidem ventri, templum est coquina, altare mensa, ministri coqui, immolata pecudes coctæ carnes, fumus incensorum, odor saporum. *Hug. ibid.*

30. Gulæ est solius corporis causa, illecebrosus et avidus ciborum appetitus. *Hugo.*

31. Gula vel gastrimargia, est vorax edacitas nauseanti stomacho applaudens, naturalibus finibus non contenta. *Ibidem.*

32. Hæc pestilenta non vulgari humilitate contenta profundius se porrigit in prælatos, qui salmones, lucios cæterosque pisces æquipolenti generositate præsignes, variis decoctionum cruciatos martyriis, baptizati adulterantes officium, sacri piperis fonte baptizant, ut ex tali baptismate baptizati multiformem saporis gratiam consequantur. In eadem mensa terrestre animal piperis inundatione submergitur, piscis natat in pipere, avis ejusdem viscositate ligatur: dumque tot animalium genera uno ventris ergastulantur in carcere, aqualite animal secum, pedestre aëreumque genus in eodem sepulchro intumulari mirantur: quibus si detur licentia exeundi, egressui vix portæ sufficit amplitudo. *Alan. de complanctu naturæ.*

33. Quicquid avium volitat, quicquid piscium na-

lat, quicquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus: quære nunc, cur subito moriamur? quia moribus vivimus. *Senec. 10. Rhet.*

34. Ventri obedientes, animalium numero computantur, non hominum. *Senec. 61. epist.*

35. Multos morbos fercula multa ferunt, innumerabilesque morbi, innumerabiles coquos numerant. *Senec. epist. 7.*

36. Una sylva pluribus elephantibus sufficit, homo vero pascitur vix terra et mari. *Ibidem.*

37. Venter præcepta non audit: poscit et appellat: non est tamen molestus creditor, parvo contentus est, si das illi, quod debes, non quod potes. *Sen. 21. epist.*

38. Initium vitæ hominis aqua et panis: gulosus autem non sufficiunt fructus arborum, non genera leguminum, non radices herbarum, non pisces maris, non bestiæ terræ, non aves cæli, sed quærentur pigmenta, parantur aromata, et nutriuntur alilia, capiuntur obesa, quæ studiose coquuntur arte coquorum, quæ laute parantur, officio ministrorum: alius contundit et colat, confundit et conficit, substantiam convertit in accidens, naturam mutat in artem, ut saturitas transeat in esuriam, revocet appetitum, ad irritandum gulam, non ad sustentandam naturam, non ad necessitatem supplendam, sed ad aviditatem explendam. *Inno. de vilitate conditionis humanæ.*

39. Gula paradysum clausit, primogenituram vendidit, suspendit pistorem, decollavit Baptistam, Nabuzardan princeps coquorum templum incendit, et Jerusalem totam evertit. Balthazar in convivio manum contra se scribentem aspexit, Mane Thecel Phares, et eadem nocte interfectus est à Chaldæis. *Inno. ibid.*

40. Vitium ventris et gutturis non solum minuit ætatem hominibus, sed etiam aufert. *Tull. pro M. Cal.*

Vide etiam in tit. Abstinencia et Avaritia, núm. 1, 18. in tit. Conversatio, núm. 29, 30, 32, 33. in tit. Delitiæ, núm. 13. in tit. Devotio, núm. 12. in tit. Discretio, núm. 13. in tit. Divitiæ, núm. 27. in tit.

Ebrietas, et Gloria vana et Jejunium. núm. 16. in tit. Peccatum, núm. 14. in tit. Sobrietas et Temperantia, núm. 4. in tit. Vitium, núm. 2, 6.

HÆRESIS.

1. Hæreticus est, qui pro alicujus temporalis commodi, et maximè gloriæ principalisque sui gratia falsas ac novas opiniones gignit, vel sequitur. *Aug. de diffinit.*

2. Hæreticus est qui conceptam novi erroris perfidiam pertinaciter defendit. *August.*

3. Schisma est eadem opinantem atque eodem ritu colentem, quæ cæteri, solo aggregationis delectari desiderio. Hæresis vero divisa opinatur ab his quæ catholica credit ecclesia. *Aug. cont. Faustum.*

4. Si quis sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, quarunt autem tanta sollicitudine veritatem corrigi, parari, quum adinvenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. *Aug. ibid.*

5. Hæc est fides, Papa beatissime, quam in catholica discimus ecclesia, in qua si minus peritè, aut parum caute forte aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem et sedem tenes. Si autem hæc nostra confessio apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpæ voluerit, se imperitum vel malevolum, vel etiam non catholicum seu hæreticum comprobabit. *Hier. in epist.*

6. Resecandæ sunt putridæ carnes, et scabiosa ovis ab ovili repellenda est, ne tota domus massa et pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intireant. Arrius in Alexandria una scientilla fuit, sed quia non statim opressus est, totum orbem ejus flamma populata est. *Hieronym.*

7. Quicumque aliter scripturam intelligit, quam sensus spiritus sancti efflagitat, à quo scriptura est: licet ab ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest. *Ibidem.*

8. De intelligentia hæresis, non de scriptura est: sensus, et non sermo fit crimen. *Hilar. 2. de trinit.*

9. Plus longe nocet falsus catholicus, quam si verus appareat hæreticus. *Bern. super Cant.*

10. Sicut cavendi sunt, qui habent speciem bonæ vitæ, propter dogma nequitiae: sic et hi, qui integræ fidei et doctrinæ sunt, et turpiter vivunt. *Chrys. super Matth.*

11. Schisma est error pertinax, Catholicam pacem in singulari perturbans ecclesia. *Hugo.*

Vide etiam in tit. Detractio, núm. 5. et in tit. Error, per lotum.

HOMICIDIUM.

1. Qui sine publica administratione maleficum interfecerit, velut homicida judicabitur, et tanto amplius, quanto sibi potestatem à Deo non concessam usurpare non timuit. *Aug. lib. 5. de Civ. Dei.*

2. Homicida dicitur diabolus: non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit, verbum seminavit et occidit. Noli ergò te putare non esse homicidam, quando fratri tuo male persuadeas. *August. super Joan.*

3. Tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi, et lacentes videmus. *Greg. super Ezech.*

4. Qui bonum odit in homine, numquid homicida poterit appellari? adhuc vivit homo, et ille jam reus est mortis. *Bern. in quodam serm.*

5. Non interest, quis occidat, si innocentem aliquis occidendum esse pronuntiat. *Cass. super psal. 62.*

HOMO.

1. * Homine nulla immanior fera, si sibi relinqueretur. *Aug. de Civ. Dei. c. 24.*

2. * Homo etsi sine peccato esse possit, nemo tamen est, qui sit. *Idem de spiritu et anima.*

3. Proclivis et mutabilis est in utrumque humana

conditio, ut quocumque intenderit, eò perpendat et vergat vel ad studia virtutum, vel ad illecebras delictorum. *Ambr. lib. de Joseph.*

4. Ad hoc homo positus erat in paradiso, ut si se ad conditoris sui obedientiam vinculis charitatis adstringeret, ad cœlestem angelorum patriam, quandoque sine carnis morte transiret. *Greg. lib. 2. dial.*

5. * Homo ad contemplandum creatorem suum conditus est. *Greg. 8. moral.*

6. * Quia homo de humo sumptus est, judicia Dei discutere illius non est. *Idem 11. moral.*

7. *Homo cum in honore esset, non intellexit.* In quo honore habitabat? in paradiso et in loco voluptatis conversatio ejus nihil molestiæ, nec indigentia sentiebat: odoriferis stipatus malis, fulcitus floribus, gloria et honore coronatus, et constitutus super opera manuum plasmatoris: magis autem ob insigne divinae similitudinis præcellebat, et erat illi sors ac societas cum plebe angelorum, et cum omni militia cœlestis exercitus, sed mutavit istam gloriam in similitudinem vituli comedentis fœnum. *Aug. super Cant.*

8. Heu tristis et lachrymosa mutatio, ut homo paradiscola, terræ Dominus, cœli civis, domesticus Domini Sabaoth, super Deorum spirituum et cœlestium virtutum cohæres, repentina se conversione invenit, et propter infirmitatem jacentem in stabulo, et propter pecorinam similitudinem indigentem fœno, et propter indomitam feritatem alligatum præsepio! sicut scriptum est, *in camo et fræno maxillas eorum constringe, etc. Bern. ibid.*

9. Video hominem prius quatuor virtutibus amictum: quid huic deerat, quem misericordia custodiebat, veritas docebat, justitia regebat, pax fovebat. *Bern. ibid.*

10. Animalia fecit Deus propter hominem, hominem propter seipsum. Si ergo animalibus ministrat propter hominem, quomodo hominibus non ministrabit propter seipsum? *Chrys. super Matth.*

11. Omnem creaturam sensibilem Deus armatam

et munitam creavit, alios veloci pedum cursu, alios unguibus, alios pennis, alios cornibus, hominem solum sic disposuit, ut virtus illius sit ipse Deus, et in eo, qui inferiorem eum fecit, in ipso fortiorem esse voluit in se, ut necessitate infirmitatis coactus, semper necesse habeat Dominum suum requirere. *Chrys. super Matth. 7.*

12. Præ omnibus malis, homo est pessimum malum. Quælibet bestia unum habet, et proprie malum, homo autem omnia: diabolus enim ad justum accedere non audet, sed malus homo non timet, sed contemnit. *Ibidem.*

13. *Comparatus est homo jumentis, etc.* Pejus est comparari, quam nasci: naturaliter non habere rationem, tolerabile est: hominem vero ratione decoratum irrationabili naturæ comparari, voluntatis crimen est. *Chrys. in hom. de ascens.*

14. Qui usum vestimentorum prius adinvenit, consideravit quod singula quæque nascentium, propria quædam habebant munimenta, quibus naturam suam ab incommodis defendunt. Cortex ambit arborem, penna legit volucrem, piscem squama operit: lana ovem induit, pilos jumenta et feras vestit: concha testudinem excipit: ebur elephantem jacula non timere facit: nec tamen sine causa factum est, quod cum singula animalium naturæ suæ arma habent secum nata, solus homo inermis nascitur et nudus. Oportuit enim, ut illis, quæ sibi prævidere nesciunt, natura consuleret: homini autem ex hoc etiam major experiendi occasio præstaretur, cum illa, quæ cæleris naturaliter data sunt, propria sibi ratione inveniret: multo enim magis enitet nunc ratio hominis, hæc eadem inveniendo, quam habendo claruisset: nec sine causa proverbium sonat: quod ingeniosa fames omnes excuderit artes. *Hug. in didas. lib. 1.*

15. Vide homo, dicit mundus, quomodo amavit te, qui propter te fecit me: servio tibi, quia factus sum propter te, ut servias illi, qui fecit et me et te: me propter te, et te propter se. Si sentis beneficium,

redde debitum: si accipis benignitatem, redde charitatem. *Hugo ex Plin. lib. 8.*

16. * Universis animalibus data est ratio: brutis tantum ad vitam tuendam: homini autem ad propagandam. *Lactant.*

17. * Omne hominum genus etsi ignoret, qualem Deum habere debet, tamen habendum scit. *Id. lib. 4.*

18. Principium jure tribuetur homini, cujus causa videtur cuncta animalia genuisse natura, magna et sæva mercede, contra tanta sua munera, ut non satis æstimare parens melior homini, an tristior noverca fuerit: ante omnia unum animalium cunctorum alienis velut opibus, cæteris varie tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, pilos, plumam, pennas, squamas, vellera. Truncos etiam arboresque, cortice interdum gemino à frigoribus et calore tutata est, hominem tantum nudum, et in nuda humo natali die abjicit ad vagitum statim et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lachrymas, et hoc prolinus vitæ principio. *Plin. hist. nat. lib. 7.*

19. Ne feras quidem inter nos genitas vincula excipiunt, et omnium membrorum nexus: at homo infeliciter natus jacet manibus pedibusque devinctus. Flens animal cæteris imperatorum à suppliciis vitam auspicatur, unam tantum ob culpam, quia natum est: heu dementia ab his iniliis existimantium ad superbiam se genitos: prima roboris spes, primum temporis munus quadrupedi similem facit. *Ibidem.*

20. Cætera videntur sentire naturam suam: alia pernicitatem usurpare, alia præpetes volatus, alia vires, alia nare: hominem nihil scire sine doctrina, non fari, non ingredi, non vesci, breviterque non aliquid naturæ sponte, quam flere. Itaque multi exitère, qui non nasci optimum censerent, aut quam occyssime aboleri. Uni animalium luctus datus est, uni luxuria, et quidem innumerabilibus modis, ac per singula membra: uni ambitio, uni avaritia, uni immensa vivendi cupido, uni superstilio, uni sepulturæ cura, atque etiam post se defuturæ. Nulli tamen vita fragilior, nulli re-

rum omnium libido major, nulli pavor confusior, nulli rabies acrior. *Plin. ibid.*

21. Cætera animalia in suo genere propriè degunt: congregare videmus et stare contra dissimilia: leonum feritas inter se non dimicat: serpentum morsus non petit serpentes, nec maris quidem belluæ ac pisces, nisi in adversa genera sæviunt: at homini plurima ex homine sunt mala. *Ibidem.*

22. Infructuosa intricat cespitem, necat spatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit, damno afficit possidentem, ac si excidere islam lucrum est, islam non habere commodum est: sic homo utique, qui naturæ donum, munus animæ rationis beneficium, excellentiam sensus, judicium mentis, artis industriam, culturæ bonum sterile atque inopes actus evertit, occupat, mergit auctori fructum, cultori gratiam negat: unde sicut arbor è terra, sic ista vita meretur excidi. *Pet. Rav. super illud ex Cicer. inu. etc.*

23. Fuit quoddam tempus, cum in agris homines passim, bestiarum more, vagarentur, et sibi victo ferino vitam propagabant, nec animi ratione quicquam, sed pleraque viribus corporis administabant, nondum divinæ religionis, non humani officii ratio colebatur. Nemo nuptias viderat legitimas, non certos liberos inspexerat quisquam, non jus æquabile quid utilitatis haberet, acceperat. *Tull. in prolog. de invent.*

24. Quo tempore vir quidam magnus et sapiens cognovit, quæ materia esset, et quanta ad maximas res opportunitas animis inesset hominum: si quis eam possit elicere, et præcipiendo meliorem reddere, qui dispersos homines in agris et in tectis sylvestribus abditos, ratione quadam compulit in locum unum, et congregavit, et eos in unamquamque rem utilem atque honestam inducens, ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos: at mihi videtur quidem hoc nec tacita, nec inops, dicendi sapientia perlicere potuisse, ut homines à consuetudine subito converteret, et ad diversas rationes vitæ traduceret. *Cicer. ibid.*

25. * Hoc natura præscribit, ut homo homini, qui-

cumque sit, ob eam ipsam causam tantum quod homo est, consultum velit. *Idem. 5. Offic.*

26. * Sunt in terra homines, ut incolæ et habitatores, sed quasi ut espectatores superarum rerum atque cœlestium. *Idem. 2. de Leg.*

27. * Homo est imbecillitatis exemplum, temporis spoliū, fortunæ lus, inconstantiæ imago, invidiæ et calamitatis trulina: reliquum vero pituita et bilis. *Arist. apud Stob.*

28. Omnis suo hono constat vitæ fertilitas, commendat vinum sapor, et velocitas cervum, quam fortia dorso iumenta sint, quæris. In cane sagacitas prima est, si feras investigare debet: cursus, si consequi: audacia, si mordere, et invadere. Illud cuique optimum esse debet cui nascitur, quo censetur in homine: optima quidem est ratio: hæc antecedit animalia cætera, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum est, cætera illi cum animalibus salis superque communia sunt. Est fortis, videlicet et leones: formosus est et pavones: velox est, et equi, corpus habet, et arbores: habet impetum ac motum voluntarium, et bestia et vermes: habet vocem, sed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviosem tauri, dulciorem et nobiliorem lusciniæ? *Senec. 79. epist. ad Lucill.*

29. Quod in homine proprium ratio, hæc recta et consummata hominis felicitatem implevit: ergo si omnis res, quum bonum suum perfecit, laudabilis est, et finem suæ naturæ tetigit: hæc ratio perfecta virtus, eademque honestum est. Id itaque unum bonum in homine est, quod hominis est. *Ibidem.*

30. Si quis omnia alia habeat, valetudinem, divitias, imagines multas, frequens atrium: sed malus ex confesso sit, improbabis illum. Item si quis nihil quidem illorum habeat, quæ retuli, careat pecunia, clientum turba, nobilitate avorum et proavorum serie, si ex confesso bonus sit, probabis illum. Ergo hoc unum bonum hominis, quod qui habet, in omnium aliorum copia damnatur atque rejicitur. *Ibidem.*

31. Quæ conditio rerum, eadem hominum est. Navis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum, aut aureum rostrum est, nec cujus tutela ebore celata est, neque fiscis atque opibus regiis pressa est: sed stabilis et firma, et juncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum incursum maris, solida gubernaculo parens, velox et non sentiens ventos. Gladium bonum dices, non cui deauratus est balleus, nec cuius vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secundum subtilis acies est, et mucro monumentum omne rupturus. Regula, non quam formosa, sed quam recta sit, quæritur, eo quidem laudatur, cui comparatur, quod illi proprium est. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret quantum fœneret, à quam multis salutetur, quam pretioso incumbat lecto, quam perlucido poculo bibat, sed quam bonus sit: bonus autem est, si ratio explicita et recta est, et ad naturæ suæ voluntatem accommodata. Hæc vocatur virtus, hoc est honestum et unicum hominis bonum. *Ibidem.*

32. Quil autem sit vir bonus, dicam. Vir bonus quod honeste se facturum putaverit, faciet sine pecunia: si laboriosum erit, faciet, etiamsi damnosum sit: faciet etiamsi periculosum erit. Rursus quod turpe erit non faciet, etiamsi pecuniam afferat, etiamsi voluptatem, etiamsi potentiam, ab honesto nulla re deturberit, ad turpia nulla spe invitabitur. *Ibidem.*

33. Quies tibi, non desidia sit, et quum ab aliis ludilur, tu sancti aliquid honestique tractabis. *Senec. in Proverb.*

34. Sicut formosa pictura est, quum nulla pars errat: sic et formosus homo, in quo nulla pars peccati fœda est.

Vide etiam in tit. Ascensio, núm. 19. in tit. Bonum, núm. 4. in tit. Miseria, núm. 8, 10, 11, 12, 13, 14. in tit. Mors, núm. 2, 4. in tit. Natura, núm. 7. in tit. Regimen, núm. 9. in tit. Voluntas, núm. 18.